



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigeſimâ-ſecundâ menſis Julii, anno Domini M. DCC. LXXVII.

MAGISTRO ANTONIO CASAMAJOR, Cenſore Regio, Doctore Medico, Præſide.

An nebuloſo tempore ſeminis Badian *uſus?*

I.

INGENS diſputandi campus aër. Duplicem vulgò diſtinguunt Phyſici, elementarem & atmoſphæricum. Elementaris ſingula naturæ corpora ingreditur; hunc multiplici ſub formâ eduxerunt Chimici, multiplicemque ejus ſpeciem eſſe detexerunt (*a*). Verùm atmoſphæricum præcipuè Medicus conſiderat, quem ſpiritu trahimus viciſſim & reddimus. Ille cogitari poteſt, innuente Boerrhavio, *cahos univerſale in quo omnis fermè generis corpuſcula ſimul confuſa conſtituunt aggregatum diverſiſſimis conſtans rebus*; &c. Neceſſaria aëris actio in œconomiam animalem; ab illo vitæ & ſanitatis, ut morbi

(*a*) MM. Hales, Macbride, Jacquin, Prieſtley, Lavoiſier, Bucquet.

ac interitûs insignes ducimus causas ; animus ipse , instar corporis , ob intimum utriusque commercium, modo ineluctabili crebrò afficitur, pro variis scilicèt vitalis auræ proprietatibus , ac qualitatibus diversis. Proprietates eæ sunt gravitas , tenuitas, pelluciditas, fluiditas, mobilitas, compressibilitas, elaterium, &c. &c. Qualitatibus verò adscribuntur calor, frigus, siccitas & humiditas. Ex his quidquid eminuerit, haud levis in œconomiam animalem momenti esse potest. Id autem præcipuè advertendum est; nempè aëri quædam insita vis absorbens quâ fit ut aliquatenùs calens immensam aquæ copiam possit combibere, ac videatur in suam-met substantiam convertere. Hæc dùm modicè admissa , & altiùs evecta in tenuiores it dispersa moleculas , tùnc suda est tempestas & sydereæ nitent arces, radiante phœbo & amictu cæruleo conspicuæ. Si verò collecti admodùm, nimisque addensati aquei vapores, orbi propiùs incumbant, tùnc atræ nubes obvelant nobis sydera , moxque imbres & pruinæ, nix & grando terras minitantur ; indè scaturiunt mille fontes , decurrunt rivi , & passim turgescunt flumina. Hæc autèm effluvia non aqueo latice prorsùs exuunt atmosphæram ; quare pro diversâ impraegnante lymphæ copiâ , diversa oritur illius constitutio sedulò notanda. Jam verò nostros in præsentiis una præsertìm detinet animos: nempè si aëris humiditati frigus accesserit , vaporesque alti tempus nubilum effecerint. Hinc etenim longa oritur catarrhorum ilias, oris parisiensibus adeò familiaris : felices adhùc urbanos, si lues epidemicas densæ ac continuæ non secum ferant nebulæ, qualem grassatam fuisse novimus anno 1763 , & novissimè sub finem anni 1775 ac sequentis initium. Atroces verò tempestatum minas ridet ars Prophylactica ; simplex infusi cujusdam aromatici usus noxios horùm effectus ut debellare , sic & præcavere idoneus est. *Badian* tunc semen præ aliis primatum mereri , tutòque, etiàm à sanis, posse usurpari confidimus.

II.

QUAM brevis apud Lapones corporum statura ! non ideò tamèn sanitatis vigorem, longævitatemque arcet frigus penetrabile. Sed quàm molli diffluunt inertiâ laxè tumentes Batavi ! quàm ampla , sed debilis machinæ moles ! quàm torpida mens ! scilicèt quotuplici viâ corpus aër ingreditur , totuplici ratione potest, si vitiatus fuerit, illud inficere. Potest quidem deglutitus turbare digestionem depresso ventriculi tubique appensi tono ; ventrisque tormina , tenesmos ac tristes ciere diarrhæas. Cutem cui applicatur, nimiùm humidus relaxat , constringit unà frigidior. Hinc oriuntur ejus inertia & infarctus ; hinc sensatio frigidi diù importuna cum motu horrifico. Hinc seri intùs repulsio de textu in textum depluentis ; hinc dolores vagè-rheumatici , mentientes mox arthritidem , ubi serum hostile debiles excipiunt articuli. Tunc nec mentis nitet hilaritas , nec ad studium laboremve grata propensio. Si quæ autem pars delicatulò in corpore languescat imbecillior, hùc subitò prorumpens hospes importunus , luctus mille accersit novos , renovatque antiquos callorum , ac cicatricum dolores , si non insultus podagricos , spasmodicos , asthmaticos. Nec minùs pulmoni officit humido-frigida aëris intemperies, hujus exhalationem coërcens , quâ nullam copiosiorem esse nemo nescit ; undè angina , gravedo , catarrhus. Depravatur & ipse actus respirationis : quàm dolet enim-verò , quàm dirè constringitur pectus apud imbelles præsertim fœminas quæ pro aëre acres inspirant nebulas ipsi conjunctivæ sensibiles ! Igitur ne corporibus hæc officiant , affertur hìc nobis indicatio prophylactica ; tonus nimiùs ventriculi excitandus , actio cordis refocillanda , ut & perspiratoriæ vires ; nec-non respirationis exhalationisque pulmonicæ facile reddendum munus. Porrò calentis ope nec-non subaromatici potûs , hæc obtinentur omnia , sicque aguntur pulmones , ut hoc assumpto sputa statim erumpant faciliùs. Ergò etiam à sanis quos durus non exercet labor , tutò usurpari poterit ille liquor. Quùm verò *Badian* seminis infusum talem egregiè scopum attingat , hujus nùnc descriptionem delibandam esse ducimus.

III.

PLANTÆ *Badian* ferentis genus ac ſpecifici characteres nondùm innoteſcunt. Fructus tantùm nobis à ſinâ, tartariâ & inſulis Philippinis advehitur. Corpus eſt ſtellæ formam referens, quod ſex, ſeptem aut octo conſtat capſulis radiorum inſtar ad unum axim coëuntibus. Solidæ ſunt illæ capſulæ, compreſſæ, formâ ferè triangulari, intùs læves, extùs rugoſæ, colore rubiginoſo, odore ſuaviſſimo aniſum noſtras ſpirante, ſapore ſub-acri, leniter pungente, jucundo : harum margo unus tenuis & minor axi cohæret; ſuperior convexus eſt, in medio angulofus, craſſiuſculus & ſcaber; tenuis verò inferior, longitudinaliter dehiſcens, quà contentum ſemen introſpicitur. Semen porrò læve extùs ac lucidum, gaudet figurâ ovali & ſubfuſco colore, qualia lini ſeminibus ineſſe novimus. Levi conſtat amygdalam obducente pelliculâ; nempè emulſivum, molle & albicans corpus, ſapore dulci ſe commendans & odore leni aromatico.

Laudati fructûs naturâ ex chymicâ arte nobis innoteſcit. Nimirùm ex *Badian*, ope balnei maris, obtinetur, 1.° phlegma pellucidum, inſipidum, inodorum. 2.° Phlegma emulſi colorem ferè æmulans, ob interpoſitas olei moleculas. 3.° Oleum tenue, leve, flaveſcens, aromaticum. 4.° Oleum gravius, ſpiſſius. In fundo cucurbitæ remanent cortex & parenchyma ſeminis *Badian* integra, exſucca & longè leviora: ſemen verò & capſula ſi diſtinctæ analyſi ſubjiciantur, plùs olei eſſentialis ex illo, ex hâc autèm reſinæ copia major educitur.

Nùnc ſi vires ejus medicas exploremus, ei deprehendemus inhærentem eſſe vim tonicam, ſtomachicam, carminativam, incidentem, aperientem, emmenagogam. Undè optimo cum ſucceſſu ſtudioſis ſuadetur, debili ventriculo laborantibus, mulieribus præ nimiâ fibrarum laxitate infecundis. Sed omiſſâ medicatrici virtute, prophylacticæ tantùm inſiſtimus, quam mox evolvere animus eſt.

IV

ANISUM ſtellatum ad nocivos nebuloſæ tempeſtatis effectus præcavendos reverà prodeſſe, tonicis que aliis hunc ad finem præſtare, jam incumbit probandum. Vulgò ſub infuſi formâ præſcribitur, & ad uſum medicum magis nuclei incluſi ſive ipſa ſemina, quàm capſulæ ſeminales, expetuntur, hinc enim acredo major; illinc major ori ſuavitatis. Maſticatum, ut ſinenſibus ſolemne eſt, ei gratum effundit aniſi ſaporem, fragranti odore non minùs conſpicuum. Suavem halitum efficit, & aëris impuri contagium eliminat. Vires ſuas hujus infuſio, lenes tantùm injiciendo ſtimulos, exerit, licet odore valens, tamèn expers acredinis. Nempè fibris tonum addit, totius que vaſculoſi ſyſtematis vires benignè exſuſcitat; hinc humores dividit, attenuat, fluxiliores reddit; hìnc lenis cuti calor effunditur, hìnc aquei vapores placidè & affatim avolant per exiguiſſima cutis pulmonumque ſpiracula. Tùnc oceani de purata moles, placido curſu gaudens, intrà liberos canales facilè movetur, hìnc ſuus nitet ſanitatis honos, ſua ſervatur functionum integritas.

Sed non ſola ratio pro nobis militat, verum in medicis oraculum jure conceſſas fuiſſe peregrino ſemini laudes confirmat experientia. Præterquamquod enìm theæ infuſo longè præſtet, pectori vim ſub infenſam paucis ab incœpto uſu diebus non exerens, illius inſtar; quin-imò quotidianus *Badian* uſus ſinenſes roborat; hunc à paſtu volutant in ore tùm voluptatis, tùm utilitatis cauſâ; hunc præſidium habent, ferè dicam, univerſale, ſuum que ei debetur, quo valent, ad extremam ſenectutem uſquè corporis & animi robur. Quandò igitùr ſanitati humido-frigidus inſidiatur aër, tam ſalubrem pretioſi ſeminis commendare uſum amici munus eſt; nullum enìm ſpondet niſi felicem eventum. Ipſi nuperrimè, hyeme ſcilicèt antè ultimam elapſâ, ſolo illius uſu, dùm raucedine, tuſſi importunâ ac pertinaci vexa-

bantur ferè omnes, nos & amicos communi à labe prorſùs immunes fecimus. Manè quidèm & ad veſperam infuſum *Badian* haurire ſolitum erat, quo perſpirationi, exhalationi, viribus digeſtivis ſic conſuluimus, graſſantem ſic luſimus epidemiam, ut ſanitate illæſâ, tempeſtatis nebuloſo-contagioſæ pericula ſubire contigerit.

V.

QUANTUMVIS utile nobis videatur infuſi vel maſticati *Badian* uſus, non tamen hunc adeò generalem inſtituimus, ut indiſcriminatìm commendetur omnibus atque omni tempore. Illum impunè neſcient qui duris acti laboribus immutati ſubeunt temporum diſcrimina : his nocet quos urget plethora, bilis ve adurit. Sedentarii homines, ſtudioſi, pueri, delicatuli, imbelles fœminæ nunquàm ſibi conſulent ampliùs, quàm ſi prædicto utantur ſemine. Infuſum ejus cum lacte mixtum, ſalubriorem offeret cibum lacte ſolo qui talis urbi venit, qualis nocere potiùs quàm podeſſe queat. Sicca aëris conſtitutio, brumali aut æſtivo tempore, uſum ſeminis haud requirit. Sic conſulitur à naturâ ne continuus nimis hauſtûs tonici fiat uſu. Tu igitùr calentem hîc potum ne arguas, eumque ventriculo & debilibus idioſyncraſiis nociturum eſſe credideris. Potûs enìm grati & aromatici ſors longè diverſa quàm meræ tepentis aquæ nauſeam cientis : theæ levis infuſio fractum digeſtione difficili non-ne reficit ventriculum ? calentia carnium jura nedùm illud debilitent, è contrà roborant ; calor enim ipſe tùnc tonicus eſt. Apage ergò vanam ſollicitudinem. Inſtant nihilominùs : quorsùm medicamenta ſanis exhibes ? Ne ſcilicèt morbus ambiens irruat, atque improviſos corripiens, aut naturæ in penetralia malignè irrepens, vitæ inſidietur. Minitantes morborum cauſas ut prævertere ſapientis eſt Medici ; cuicumque vitrea ineſt valetudo, utiles cautelas reſpuere piaculum. Comprobant autèm ratio & experientia, primò ſanitati infenſam eſſe nebuloſam aëris humido-frigidi conſtitutionem ; deìndè ſaluberrimam ex ſimplici laudati ſeminis uſu, poſſe contrà illius nocivos effectus erui prophylaxim ;

Ergò nebuloſo tempore ſeminis Badian *uſus.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA-CLAUDIUS JEANNET DES LONGROIS, Arcyanus, apud Tricaſſinos, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor.

A. R. S. H. 1777. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1777.